



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

269. feria 4. de discretione in sectando perfectiora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

480 FERIA 4. DOMINI 14. POST PENTECOST.

Ne semper magnas civitates quæramus, sed etiam viles atque contemptas villas adæamus, & docendas animas, & trahendas ad Deum. Et hæc operabantur incessanter: quia fatigatus coemptos à Discipulis cibos, nec ipse suscepit, nec eos sumere iussit. Denique docet non cessandum ab ijs, esto fructus non appareat.

MEDITATIO CCLXIX.

FERIA 4. DOMINI 14. POST PENTECOST.

De discretione in sectando perfectiora.

Videbo D. JESUM quasi ad lapidem Lydium discernentem malum à bono, & bonum, à meliore bono, atque hoc eligentem. Petam eum imitari

Conf. 1. Discretio est spiritualis prudentia, quæ vera à falsis, bona, vel meliora, a malis, ac minùs bonis discernit, illaque amplectitur.

Conf. 2. Incitamenta ad eam 1. Sicut Deus omnia in mundo discernit, lucem à tenebris, sic justus affectiones suas discernat oportet, juxta illud: *Spiritualis judicat omnia* 1. ad Cor. 2. 2. Discretio est oculus mentis, qui si lucidus, totum corpus lucidum erit. 2. Exemplum Christi, qui humana divinis posthabuit. Et quia omnis virtutis laus in actione sita est.

Conf.

Feria 4. Domin. 14. post Pentecost. 481

Conf. 3. Actiones ejus. 1. discernere inter malum, pejus, pessimum, & bonum, melius, optimum. 2. Adverte, quam reverentiam debeamus superiori, quam compassionem inferiori, quam societatem æquali, quid vivis, quid defunctis, quid prædecessoribus, quid successoribus, quid amicis, & inimicis, 3. Considerare, quid dandum corpori in cibo, potu, somno, veste, exercitatione, quid animæ in oratione, lacrymis, pietate. 4. Distinguere tempora laborandi, quiescendi, tacendi, loquendi, & in omnibus debitas circumstantias observare. 5. Ordinare cogitationes, ne extra Deum vagentur, affectus, ne nimis in creaturis occupentur, suspiciones, verba, facta in meliorem finem vertere. 6. Inter creatorem & creaturam discrimen statuere, huc propter se, illam propter Deum diligere. 7. Secundum Richardum Victorinum actiones discretionis sunt. 1. Judicatio segregans bonum à malo. 2. Deliberatio nihil inconsultè agens, & nos à supervacuis restringens. 3. Dispositio cuncta ordinatè operans, nihilque confusum relinquens. 4. Dispensatio supervenienti occasione sedens, & humanæ infirmitati condescendens. 5. Moderatio, quæ modum custodit in omnibus, & mensuram non excedit.

X

MEDI-